

DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
ÆNIGMATE SECVLI  
SIVE  
RATIONE STATUS.

QVAM  
BENEDICENTE DEO,

Ex

Decreto & Suffragio Ampliffi: Philosophici Senatus, in Re-  
gio hoc, natalis soli, Musis sacrato Palladio qui residet,

PRÆSIDÈ

Viro Amplissimo,

M. DANIELE ACHRELIO,

Eloquentiæ Professore Ordinario & Regio,

PRO GRADU MAGISTERII,

Ejusque insignibus ac Privilegiis, legitimo modo obtinendis, ad so-  
lennem & publicam Dnn: tam ordinariè quàm, extraordinariè  
opponentium discussionem,

*Die 21. Julii horis locorq; consuetis,*

Reverenter offert

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS Alumnus,

JOHANNES *MORZEX* B.F.

*Bæclerus:*

Manet Ratio Status, ænigma seculi, materia subtilitatis,  
cum Protheo Thetis, cum Paride Helena, cum U-  
lysse Penelope.

ABO Æ, IMPR. APUD JOHANNEM LAURENTII WALLIUM,  
REGIÆ UNIV. IBIDEM TYPOGR. A. 1688.

Quòd  
Tam benignas tamq̄ve felices tuas fores,  
Q̄vaescunque nunc meæ,  
Debitæ suæ modestiæ non immemores,  
Nec suæ venerationis oblitæ,  
Audeant pulsare Musæ;  
Id omne,  
Maximi Monarcharum,  
Vir Magne ac Summæ fidei,  
Illustrissime atque Excellentissime,  
DOMINE,

# DN. LAURENTI CRÆVIZ

LIB: BARO de Cassariis /  
DOMINE in Sarsvelax / Tiusterbn / Jorsbn / Endòb /  
& Ottinge / &c.  
Dynastiarum Aboënsis, Biörneburgensis  
ut & Alandensis  
Præses ac Toparcha Regiæ,  
Domine mi Gratiōsissime,  
Nutritie Benignissime,  
Id, inquam, omne,  
Generosæ tuæ indolis Divinitati,  
Q̄vâ veluti Magnete, Literarum Cultores ad Te allicis,  
Sydereo virtutum tuarum splendori, (pergis,  
Q̄varū radiis extra publicā etiam lucem sedentes illustrare  
Imò denique uberiori Munificentæ tuæ promptitudini,  
Q̄væ ex solâ beneficiorum declaratione dies numerare con-  
Unicè adscribendo (svevit,  
Clementer imputabis.

Scilicet,

Vix putabant illæ præclarius unquam secum agi posse,  
Q̄vâ si ejus sibi, quâcunque viâ, pignerari properarent  
Gra-

Gratiam,  
Cujus fulcimine vigent,  
Cujus incitamentis eriguntur,  
Cui quoq; summam olim propitiis satis suarum Fortunarū sint  
Qvare, (debituræ.

Affulgente splendidâ hac occasionis aurâ,  
Cum affectui, tum obligationi suæ  
Consentaneum duxerunt,  
Ut Academico non tantum huic Discursui,  
Illustre, Tuæ Excellentiæ, Nomen  
Humiliter præfigerent,

Sed &

Tibi,

Huncce suum fœtum,

Licet immaturum,

Crudum,

Impolitum,

Atque in locum alterius cujusdam speciminis, ab  
Ipsis huic negotio destinati pariterque elaborati,

Ex insperato susceptum,

Venerabundæ consecrarent.

Suscipe itaqve,

Illustrissime Domine Toparcha,

In debitum Pietatis pignus,

Subjectæque mentis tesseram,

Hocce,

Tuo sacrario benignitatis appensum,

Tam levidense munus;

Qvod

TUÆ EXCELLENTIÆ

Simplici Reverentiâ

Cum animo Devoto offertur.

JOH: MUNSTERI.



Oleennis sanè est depravati hujus seculi genius, ut quanto major crassa ignorantia barbarie infuscatas mentes, petulans & effrenata inscitia regit audacia, insolens stupiditatis impellit libido, tumentesque superbia exagitant furia, tanto vehementius illa, non solum Reginam rerum SAPIENTIAM, venenatis suis prosequuntur dieteris, sed etiam in ipsos sapientia Magistros, qui tamen Justitiæ audiunt tribunalia, religionis aræ, Consilii Oracula, prudentiæ delubra, Moderationis domicilia, humanitatis penu, mansuetudinis sacraria, fortitudinis fedes, uno verbo, virtutum Thesauri, ab impuro suo guttore, abominanda Convitia foedè jaculantur. Enimverò, vacua illa omni scientiarum liquore crania, nullaq; re nisi humanarum Literarum ignorantia prorsus insignia, cum per se nihil laudabile, nihil præclarum præstare, aut velint, aut possint, alios ad laudem, famam, gloriam, honorem, virtutis viâ grassari, miserè indignantur. Ast ejusmodi imperitorum voces, sicut haud absimiles sunt anserum gingu, hi enim tantummodo clamant, nocere verò non possunt; ita quoq; generosa pectora, eorum insultus alto supercilio, magnificè spernunt. Egregiam tante malignitatis Contemptuicem Chariss: Dn. Præcept: ut semper sese præbuit, indolis Tuæ claritas, sic vividus ille sanguis, in Doctis tuis præcordiis sraditer concalescens, sapientia alis perumpere ad honorum fastigium, ipsâ invidia spectante, quàm ambulare maduli; Ceterum, quantis vigiliis, quantâ diligentia, quantoq; ardore viam eò ducentem, à primis ungviculis, sedulus calcasti, id non tantum publice fame buccina, magnorum Virorum quæ inflatur,

*inflatur ore, sed & prolixior speciminum, publicè privatimq; editorum series, dilucidè monstrat. Quorum non ultimo, jam venit recensendus loco, præfens hic, Pro Gradu Magisterii DE RATIONE STATUS conscriptus, verè Academicus discursus, cujus Nomen, apud populum celebre, famâ inter Doctos ambiguum, intelligentiâ in Aularum & Curiarum secretis reconditum, dum subtiliter referando illustras, insignem propterea laudis gloriam, demetiendam Tibi esse scias; scilicet, ex omnibus præmiis virtutis, si habenda ratio præmiorum, amplissimum manet gloria; hæc una est, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoriâ consolatur, quæ efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus; hæc est, cujus gradibus etiam Homines in Cælum ascendere videntur. De cætero, licet memet non lateat, Discipulorum pietatem, studiorum suorum Directoribus, qui Dii Viales, parentumque vicarii nominantur, à quibus recte discipline initia, progressus & incrementa fluunt, singularia quedam gratulationis debere signa, attamen sincerum meam pectus cum aliud hæc vice non possit, Tibi Doct. s. Dn. Præcepti: Magistri titulo propediem fulsuro, perpetuò florescentem sapientie Corollam animitus exoptat, imò pares successus, paremque felicitatem, calidè dovendo precatur, quâ per omnium Temporum memorias, condecorata fulgebant præclare mentes, quas Virtus & Doctrinâ, Comite Pietate, ad sublimiora negotiorum molimina, suo cum merito condignè evehebant. Vale.*

Præceptori suo optimo hisce gratulari  
voluit

**LORENZUS CREUZER**

Junior.

LIB. BARO.

Ad

Ad  
Peramplæ Eruditionis  
VIRUM,

**Dn. JOHANNEM MUNSTERUM,**  
Philosophiæ Candidatum,  
**DE RATIONE STATUS**

*Pro Gradu Magisterii*  
Ingeniosè disputantem:



Imperium, Divis grave munus erat Pa-  
triarchis,  
Iverat in sortes dum populus va-  
rias.

Hinc dotes legum veniuntque Statamina Re-  
gum,

In Classes certas distribuendus ager!  
Dogmate **MUNSTERUS** monstrat vigilans  
Aboënsis

**MUNSTERO** Studiis æquivalere suo!

*L. Mg.*

*Animo gratulandi  
scripsit*

**ELIAS Til. Sandg!**  
Med. Doct. & Prof.

Pereximie Dn. Candidate!

**Q**uam præclare, obscuram hanc, & multis perplexitatibus involutam materiam, de *Ratione Status* elaboraveras, hac quidem vice non possum exponere. Volvitur sane, hujus argumenti celebritas in ore multorum hominum; sunt & de eodem doctorum variantes sententiæ; In seriniis regnorum ac interioribus consiliorum recessibus ut plurimum lateret, si modò seculorum astutia, fugeret indaginem curiosarum mentium. Laudo proinde industriam Tuam, quòd de nobilissima materia tam sincerè volueris scribere; Res habes copiosas, notabiles, secretis meditationibus plenissimas; dictio candida est & elegans. Scilicet ex stylo ut plurimum judicant eruditi de interiorum mentium habitudine; Ex quo pariter indicio ingeniorum, si sublimina, acuta, morosa, prava, vel fordida fuerint, discrimina notant. Perge mi MUNSTERE & persevera in ista tam favorabili Candore, succresce denique feliciter in honorem Dei, regis & regni. Vale

à Tuo

D. ACHRELIO.

Pereximie & Eruditissime Dn. Candidate!

**N**aturam studiis qui pravam frangere pergit,  
Curas assiduas nocte dieque feret.  
Sanguine depictas Tyrio fert Martis alumnus  
Vestes, & titulis digna tropæa suis;  
Muneribus tandem Cereris replet horrea curvæ  
Ruricola, & svari nectare labra rigat.  
Sed quàm vir, Claras mentem qui vertit in artes  
Sedulus eximias, præmia magna feret,  
Exemplo Munsterus erit. Tritonia Pallas  
Cui meritò imponet debita fersa diu!

Premia

*Premia pro Sudore tibi, Munstere, pendet  
 Phebus, Pegasea dant quoque dona Dea.  
 Gratulor, Aonia sedis, Munstere, satelles,  
 Corde, Magistralem te capere huncce gradum.  
 Hinc patria chara, cuncti gratantur amici,  
 Dum soboli cedant hacce brabea sua.  
 Te Deus incolumem multos conservet in annos,  
 Dum mentis veras accumulabis opes!  
 Auxilium optatum praestet tibi tempore quovis,  
 Tuque ita percipias commoda multa, precor!  
 pergam ego cum Musis, simul omnis Musica turba,  
 possit ut hoc fieri sollicitare DEUM!  
 Ica condiscipulo quondam svavissimo, iam  
 verò amicorum intimo congratulari  
 voluit.*

LAURENTIUS EXMPAN/  
 CHRISTIERNI FILIUS.

**M** herr **MUNSTER!**  
 Can weet / at Rom det geer sin Tullio Verdm/  
 The Græker billiget nog Demostheni sin Heder;  
 Ey Dyd og høgt Forstand til Ahrons Altar leder/  
 Den denne Konst ey weet han lefver i en Drøm.  
 Der Pharus Fackel slægt / der løper man i qvasl/  
 Och Republikvens Mast sør læstlin' gå om ånda;  
 Men si! een lyctlig Lærd kan sådant snabbe afvånda/  
 Læe bit / fast det så går ibland når' ann och af.  
 Ett ljuce Saltkar fult af Duust och sinrikt Weet/  
 Mehr wåger ån een Åhm / af Tyskmycke Wåsen:  
 Nej / gibr Beskedh och Skåå / det år den råcca læsen/  
 Så har du **MUNSTER** giordt vii din Anlex Swett.  
 Jag må bekånna det / din Åhr råcc unga år/  
 Då du til sligt en Grad, medh Heder likwål wågat:  
 Si! ditt Oraculum blije skållan obefrågat/  
 Sjen du de Prof har wiift / dem du i Dagh frambr.

JOH. DRYSELL:



## RATIONE STATUS.

O!

Monarchæ,

REGES,

PRINCIPES,

*Mementote vos esse Deos;**Mementote vos esse Homines.*

(I.)



Religio, Justitia, Consilium, Opes, firmissima licet Rerumpublicarum sint fundamenta, (II.) accuratâ tamen Rationis Status observantiâ ac curâ, earundem molimina magnoperè indigent. (III.) Hujus autem illustris origo, primo Regnorum ortui quantumvis existat coæva; (IV.) Nominis nihilominus sui impositionem, quam hic usurpamus, novissimis hæc sæculis, potissimum debet. (V.) Cumq; præterea, in recondita illa ac sacra, Rationis status adyta non nisi paucissimi mortalium, feliciter penetrare possint; Hinc quid mirum? Si tot enata sint, in diversum abeuntia, circa tantæ materiei descriptionem, sententiarum divortia: (VI.) Quarum alia vulgari vocabulorum sensui inhærens, cum ordinariis Politicæ scientiæ regulis eandem confundit: (VII.) Alia affinitatis quadam seducta, Rationem status & abstrusa Rerumpublicarum arcana præcipuè verò Dominationis, minus subtiliter miscet: (VIII.) Alia quoq; nescio quid monstri alens, pro castissimâ Virgine, spurcissimum scortum amplectitur: (IX.) Sed nec deest, quæ Rationem status pro prudentiâ mixtâ solummodò venditat; (X.) Nec deniq; quæ pro Contraventione juris communis & Ordinarii pugnat. (XI.) Nos autem

trutinatis singulis, circa utilitatum & necessitatum polos, quibus Forma aliqua Reipublicæ vel introducenda, vel conservanda innititur, præcipua Rationis status momenta circumgyrari, sincerè putamus; (xii.) Insuper tamen admittentes, eandem secum vehere jus quoddam singulare, iis, penes quæ vel quos, summa in Civitate residet potestatis plenitudo competens, (xiii.) (quidquid stomachentur fucatae superstitionis sanctitate delinita pectora) (xiv.) Ejusmodi Cautiones seu rationes statisticas adhibendi, quæ ad faciliorem illarum, adeoque publicæ salutis consecutionem inservire possunt. (xv.) Cæterum, ne quis in errorum devia circa apprehensionem Rationis status abripiatur, imaginarium ejusdem phantasma à vero & genuino discriminare placet habitu; (xvi.) Qui vicissim quandoque vel à temporū varietate diversum sibi schema induit; (xvii.) Vel etiā ob æternitatem suam, in perpetuum quasi decretum, abire consuevit. (xviii.) Fidelis illa porro civitatum Custos Ratio status, sicut omnium vel plurium Rerumpublicarum formas, pari ac æquali nonnunquam salubritate perfundit; (xix.) Ita quoque ad genium unius cujusque specialem sese attemperando, distincto utilitatum & necessitatum pondere onusta, easdem perambulare solet; (xx.) adeoque in Regalis auspicii Eminentiâ, sua quæ ponit trophæa, Monarchica; quam unanime Optimatum Regimen veneratur, Aristocratica; Cujus verò auxilia popularis status libertas implorat, Democratica, rectè salutatur. (xxi.) Denique; ne extra legitimam terminorum peripheriam Ratio status sese evolvat, Circumcingunt eam instar sepimenti, Religio, justitia, Fides, (xxii.) quæ ab omni labe, naufragio, deliquio, quò sint immunes, tanto acriore animi cum fervore laborandum est, quanto certius constat, earum violationis vindictam, cælum sibi unice reservasse.

## Brevis &amp; Perspicua Ejusdem Discursus;

De

## RATIONE STATUS

Ἐξήγησις ac Illustratio.

(1) Religio, Justitia, Consilium, Opes, firmissima licet Rerumpublicarum sint fundamenta.)

Quaternis suis fulcris, ædificii ubi innititur moles, perpetuam sibi ea, durationem promittere potest. Regnorum quoq; pondera, dum unum angulorum Religionis sustinet sanctitas, alterum Justitiæ bajulat vigor, tertium Consilii portat robor, quartum deniq; Opum sustentat firmitudo, suo sanè fastigio, illa non facile cadunt. Ut nihil speciali quâdam mentione Religionem tangamus, quam Polybius alioquin Atheus, *Rerum omnium publicarum firmissimam esse basin* ingenue profitetur; *Ab eaq; subditorum fidem in Principes, obedientiam erga Magistratus, pietatem in parentes, charitatem in singulos, Justitiam in omnes unice pendere existimat.* Nec peculiarem quâdam Justitiæ injiciemus memoriam, etsi apud Platonem Philosophorum Principem ἔρμα πύλων i. e. *fulcrum Civitatum sapiusculè audiat*; apud Eloquentiæ verò Parentem, *fundamentum perpetua commendationis & fama, sine quâ nihil potest esse laudabile*; imò nec diuturnum juxta Salomonis Oraculum: *Justitiâ quippe firmatur solum.* Idem de Consilio sentiendum; nonnè eo stant Regna, Urbes, Domus? *Nos ita comperimus* (inquit nonnemo) *omnes Respublicas, Civitates, nationes, uq; eo prosperum habuisse imperium, dum in eis vera floruerint valuerintque Consilia, ubicunq; autem gratia, timor, voluptas eas corrumpere, post paulo imminuta opes, deindè ademptum imperium, postremò servitus imposita est.* Deniq; ne verbo quidem hic loci meminerimus Opum, nisi & eas rerum gerendarum nervos existere, imperii artus movere, excitare, impellere, amicitias emere, socios copulare, foedera pangere, hostium vires frangere, urbium munimenta dejicere; in summâ, togæ sagæq; negotia expedire, abundè nobis constiterit. Certè, ut rem in compendium mittamus, Religio, justitia, Con-

filium, opes, ea est quaternio, quâ presente tam interna, quam externa imperiorum virent incrementa: id quod etiam ex cordato illo Gallia, per *πρωτοποποιαν* ad cæteras gentes olim instituto alloquio, non obscurè colligitur:

*Dum PIETAS, Jus, CONSILIUM (quæis regna Columnis*

*Stant -- æternum, ad seros iurane potes)*

*Sancta mihi atq; meis, quondam inconuulsa manerent;*

*Degebam latum, magnis sub Regibus avum,*

*Nilvè meos æquabat OPES, quâ solis ob ortu*

*Littus ad Hæspærium longus se porrigit Orbis.*

Cæterùm manet, Respublicas sine Religione nil esse nisi libidinum ac scelerum refugia, sine iustitia magna atrocinita, sine Consilio temporum Fortunæq; ludibria, sine opibus corpora fermè exsangvia. Exemplorum autem agmina hæcce confirmantia, ubiq; cum sint obvia, huc transcribere nolumus; Satis quoq; de hisce quatuor Rerumpub. fulcris pro ratione instituti Philosophatum, et si nunquam satis de iis dici possit.

(II) Accuratâ tamen Rationis status observantiâ ac curâ earundem molimina magnoperè indigent) *Non solum* inquit Clarissimus Befoldus, *subditi Religione, educatione, legibus aliisq; mediis similibus ad Politicam deducendi sunt felicitatem: Sed & Majestas imperii, salutis cum sit tutela, ideo statum formamq; Reipub. & suam etiam auctoritatem mediis quibusdam tueri debet is, qui imperat. Quæ arcana Reipub. vel secreta Imperii communiter vocantur: Idem & nobis hic loci de Ratione status dicendum esse censemus. Namq; subeunte animum nostrum, curiosiori publici fati reputatione, deprehendimus, sicut non temerè Imperiorum negotia volvi, nec æternâ constitutione nexuq; latentium causarum, immutabili lege, ea percurrere, ita quoq; totius politici orbis indigentiam, exceptis enumeratis illis pedamentis, Rationis status auxilium plurimùm invocare: Idq; 1. Ob faciliorem, certiolemq; finalis suæ causæ consecutionem, beatitudinem puta Civilem, quippè πάντες inquit Aristoteles, ἢ εὖ ζῆν, καὶ τῆς εὐδαιμονίας ἐπιένθει φανερόν. ἀλλὰ ἴσταν οἷς, δὲ ἐ, ἀγαθὰ ἴνα ἰύχηνη φύσιν δὲ*

Τῆς γὰρ κατὰ κοινήν τῶν ἄλλων καλῆς. Τέττε δὲ ἐλάττωτος μὲν, τῆς ἀ-  
 μείνων ἀγαθαιμένων· πλείονος δὲ τῆς χαίρων i. e. Omnes rectè vivere  
 vitamq; beatam expetere perspicuum est: sed quidam & assequi pos-  
 sunt: alii facultas propter fortunam quandam vel naturam abest;  
 Quoniam ad rectè beatèq; vivendum adjumenta quaedam desideran-  
 tur. Sed pauciora rectius affectu, peius autem plura. Tantæ ve-  
 rò Civitatum indigentiae, non tantum succurrit Ratio status, sed et-  
 iam felicitatem ut consequantur eadem, minori nec allaborat cu-  
 rà ac vigilantia, quàm eandem intendunt perpetua Civilis scien-  
 tia dogmata. Deinde 2. Doctissimus isidem Stagirita, intra duos  
 polos, videlicet rationem finem rectè constituendi, & media ad eun-  
 dem prudenter accommodandi, beatitudinem Rerumpub. vagari ad-  
 ferit, aut quomodò hæc, finis sui compotes fieri possint, nisi ipsa Ratio  
 status unamquamq; earum utilitatis metâ ac circulo perfectè cir-  
 cumferibat? Dehinc 3. Quemadmodum quilibet eo ipso quòd ho-  
 mo est, obligatur cum quolibet hominum ad colendam pacem, quæ  
 statui hominis naturali subordinatur & ex eo immediatè profluit,  
 quamdiu cura propriæ salutis, ob injurias aliorum, eam abrumpere  
 non svalet; haud aliter Imperatores juxta communem regendi  
 normam, eo ipso quòd Administratores sunt, suam Republicæque  
 salutem ac necessitates procurant, quamdiu directa politices admi-  
 nistratio eandem tueri valet; aut si ab ejus præscripto diversa tem-  
 porum facies, mutabilis regionum hominumq; varietas, vis quoq;  
 major ab intrinseco vel extrinseco principio imminens, nonnihil re-  
 cedere jubeat, statim emergit Rationis status adhibendæ necessitas.  
 4. Quis præterea nescit? quòd quid sublimius in famæ gloriæq; the-  
 atrum est positum, eo magis temporum vicissitudini fortunæq; im-  
 pulsui ingratè subjacere; quis, inquam, nescit? ut verbis D. Au-  
 gustini utamur, cum omnia que præclara sunt, tum imprimis summa  
 imperia, cum invidia conjuncta esse: Sanè nemo; arduum enim  
 & subiectum fortuna cuncta regendi onus: periculosum prægrave im-  
 perium: Arbores quoq; sicuti vi fulminum citius infestantur, quàm  
 frutices & carecta, ita potentes Imperiorum Monarchæ, qui arbori-  
 bus comparantur, ruinam magis timeant, quàm vel infimæ fortis

homines: Necessè proinde est, ut ad tantâ retundenda tela Ratio adhibeatur status, quæ pro utilitatibus Imperantium ac parentium legitime pugnet, ordinariis præcipuè non sufficientibus mediis. 5. Solenne quoq; est magnis illis imperiis, cum non habeant, quo crescant amplius, suâ ipsius interim magnitudine laborant, causasq; non semel fovent, quibus decrescant: quod ubi cœpit fieri, observatione prudentum & curâ opus est, maximè verò sublevatione per Rationem status, quâ licet interverti non semper possit præconcepta indicia fortuna, mitigari tamen in tantum potest, ne in totum Respub. deiciantur. 6. In uberiorem deniq; indigentia Rationis status probationem, omnium seculorum imperia ac Respub., imo tres etiam jam præterfluxas illas Monarchias si producere placeret; perspicuum omninò redderetur, Rationis status curam, sicut iisdem vitam & robur dedisse, ita quoq; ejusdem contemptum vel languidiorem usum, quid nisi interitum ac funera accelerasse? Quare benè & prudenter Christi Funccius: *quantò sublimior Princeps suis subditis, tantò plus momenti in cognoscenda Ratione status præ aliarum omnium cognitione est situm. Potest quandoq; Princeps circumveniri, possunt Consilarii corrumpi; Sola Ratio status nunquam fallere soles Principem: sed in quantum benè vel malè attenditur, in tantum status ejus incrementum aut decrementum succenturiatur.*

(III) Hujus illustris Origo, primo Regnorum ortui quantumvis existat cœva,) Rationem status circa prima Rerumpub. incunabula cœpisse, non autem hodiernorum cerebellorum figmentum esse facile probari potest (1) à certissimâ ejusdem Causæ impulsivæ præsentia, quam nil nisi corrupta, malitiosa suâq; naturâ seditionibus ac vitiis scatenis mortalium absolvit indoles: quippe quæ, sicut privatorum fortunæ, circa negotiorum suorum in effectum deductionem, vitæq; defensionem, juri cuidam locum dedit, quo remora & obstacula à malignitate objicienda, citra legum violationem depelli potuerunt; ita quoq; ansam præbuit, summis illis in orbe capitibus, quæ publico gubernandi munere fungerentur, quoquo modo sibi Republicæq; prospiciendi, necessitates quoq; ac utilitates vel ultrò, directis & indirectis artibus licitè promovèn-

movendi, h. e. tam sancta legum sanctioni, quàm, ipsi de quo nobis sermo est, Rationi status. Et quidem 2. huic eò magis, quò turbulentior primorum temporum fuit conditio, quò, inquam, difficilius prima, dissentientium animorum, in unum corpus civile, peragebarur copulatio, cum libertatis & licentiæ, in subjectionis onus mutatæ memoria, vix statim aboleri potuit. Videmus etiam aliàs, novi Principatus initia, longè majoribus motibus ac turbis, quàm pacatum quendam veteris regiminis statum, semper agitari: quod nec Virgilium latuit, sub Didonis personâ ex novitate regni, ea quæ per Rationem status fieri solent, canendo qui excusat;

*Res ardua & regni noviter me talia cogunt  
Ordiri & latè fines Custode tueri.*

Addit insuper 3. nec infirmum nostræ adsertioni robur, summæ potestatis in primordiis Civitatum vel apud unum vel plures vel pauciores tanquam subjecta propria æquè ac hisce seculis plenior certiorq; existentia: hac itaq; positâ, unde ex arcano tanquam sinu progignitur ac emanat, quidquid juris ac rationis, Rationi status inest, infallibiliter concluditur ipsam quoq; Rationem status cum Rerumpub. ortu suos vidisse natales. Cumq; 4. Confliterit, ut omnes ita & primas Respub. certâ aliquâ Ratione status ortas, corroboratas, adauctas & Conservatas, hac autem destitutas, penitus collapsas esse: Siquidem sine fine, & mediis tam ordinariis quàm extraordinariis ad eum ducentibus, aliqua, nec stare nec librari potest; Hinc etiam rationem status cum ipsâ Repub. originem duxisse quin hic adseramus, nihil nos impedit. Sed & 5. Magnum illum Nimrodum in primæ scilicet Assyriorum Monarchiæ fundatione; Belum autem in amplificatione, Ninum verò & Semiramidem in ejusdem felici consummatione Rationem status exercuisse, historiarum monumenta luculenter perhibent: dum (ut priores illos taceam) hanc & illum, scopum sui status in diffusâ ac amplâ ponentes potentiâ, quò tot tantaq; sibi subjecta terrarum spatia, bellicocissimasq; gentes in obsequio retinerent, divinitatis puta de se excitatâ in animis parentium opinione, nec non prudenti terroris, ex validissimæ prædicatorum manus perpetuâ præsentia, facile subo

suboriundi, incussione, tanquam duplici medio, quod Ratio status suggerebat, usos fuisse tradant.

(IV) Nominis nihilominus sui impositionem, quam hic usurpamus, novissimis hisce seculis potissimum debet.)

Qui umbratico nimisq; theoretico modo practica pertractant, insolent hic verborum inanibus curiosè inhærere, actionum civilium formas & usus planè negligendo. Nobis sufficiat distinctionem, inter novitatem nominis ac rei insinuassee, illam hic agnoscentes, hanc non item: simul etiam paucis tantùm indigitasse, has Rationis status voces divigim consideratas, tam apud doctam antiquitatem, quàm classicos penè omnes optimæ notæ Authores sub variis acceptionum involucris, sæpissimè frequentari: E contrario verò easdem in sensu composito apud priscos Latinæ Elegantiæ Scriptores nusquam inveniri: sed tunc demum coaluisse, postquam Italorum sagacitas, rem quidem antea existentem, imò & Ciceroni ac Floro notam, sed non satis nisi vel obiter ab Aristotele vel Platone explicatam, utpote Rationem status, per vocabula *la Ragion di Dominio di signoria, di regno, d' imperio* atq; *rationamento di stato*, orbi politico optatò revelasset. Hinc etiam arbitramur, ejus vocis famam ad curiosos perlatam Gallos, occasionem ipsis dedisse, hocce validum Civitatum præsidium per *Raison d' Etat* suâ linguâ exprimeredi. Cæterùm nihil nos movet, quod delicatioris palati homines absq; veniæ præfatione Rationem status nominari vix debere existimant; Cum 1. eo ipso triti illius quo dicitur *verba usu valere sicut nummos*, oblitos se esse prodant: Sciamus etiam 2. eandem vocis Impositionem post *longam consuetudinis asseverationem* in Latinâ Civitate ita vigere, ut *hodiè inter sollemnia politicorum vocabula, quotidianâ scripturâ sermonibusq; jactetur*. Adhæc 3. observandum, *de rebus extra scholam natis & genio Civilis scena, qua temporibus servire docet accomodatis, fas est loqui, cum iis, quorum nec auctoritati ratio, nec rationi auctoritas deest, etiam cum vetustas deest*. Oblivionis in antrum penè reposuissimus causas, cur Rationis status denominatio non prius quàm hisce temporibus ultimis, perfectè in lucem prodierit: sed cum easdem insignis ille

Bœccl.



Bœcletus musteis ut solet verbis depingat, placet ea prout sonant hoc in loco referre: *Fuit enim tempus, inquit, cum in altissimo arcano, civilis tractatus mysteria custodirentur: nemini fas erat ostentare, ac ne nominare quidem, ea, quorum nullum in sermone vocabulum, nulla in exteriore scena species, sed interior, in penetratibus Prudentiæ, virtus querebatur. Interim dum revoluitur, mox civilis & aulici orbis, ceperunt excogitari elogia, adornari figura, jactari argumenta, quibus in rationem & consuetudinem iret ostentatio rerum, quas ante profanari putabant, si extra cancellos & cubicula sacrarii aulici noscerentur.* Hæc ille

(v.) Cumquæ præterea, in recondita illa ac sacra, Rationis status adyta non nisi paucissimi mortalium, feliciter penetrare possint; Hinc quid mirum? Si tot enata sint, in diversum abeuntia, circa tantæ materie descriptionem, sententiarum divortia:) Si unquam tempus fuit, quo Anonymi illius Hippoliti à Lapide locum habuere verba, quod de Ratione scilicet Status, multi multa tunc quotidie loquerentur ac differerent nec ad Reipub. gubernacula quisquam ferè sederet, nec in pulvere scholastico quisquam versaretur, quin itidem Rationis Status allegatione, nimium quantum intumuerit: sed si rem ipsam inspexisses, paucos fuisse, qui ac rem tetigerunt: utiq; certè nec hoc nostrum seculum; pares aculeos, paremve effugiet *χρῆσις*. Nemo enim hominum ferè reperitur, in cujus ore non identidem Rationis Status volitet mentio, quiq; hanc vocem profereudo immensum quantum sapere, immani publicarum rerum usu & status prudentiâ polleere, sibi non videatur, aut aliis saltem hoc persuadere conetur; Ast si bene calculum posueris, vix multos invenias, qui *πελοῦρύλητον* hoc (propterea à Contingio sic vocitatum,) vel intelligant, vel ejus vim veramve naturam, sibi cognitam habeant. Nos verò impedimenta cursum hunc in cognitionem Rationis Status deducentem remorantia, pensitantes; deprehendimus 1. ipsius rei magnitudinem, cujus oneri vulgaria ingenia facilè succumbunt, tantis conatibus obicem ponere: scilicet, *magnorum stomachorum cibus est Ratio Status*, adeoque & delicatissimum

tum exoptulat ventriculum; undè scientia ejus Imperantibus propria, tanto longius cerebellorum effugit crassitiem, quanto liberio-  
 rem non nisi coronatis capitibus, iisq; qui latera virorum Principum  
 claudunt, aditum permittit. 2. Superficiaria ad hæc studiorum  
 politicorum tractatio, non paucos à Rationis status notitia ar-  
 cet, *quia fit ut præceptis & regulis quibusdam locisq; exemplorum  
 communibus oretentis instructi, solidis, pleriq; artibus politicis ani-  
 mum non accommodent.* Videmus & 3. quàm plurimos totam æ-  
 tatem vanis speculationibus terere, totumq; suæ salutis tabernacu-  
 lum in negotiis privatis ponere, ex quorum tamen ratione, publica  
 & quæ ancipitia sunt, imperite metiuntur, cum illa in hisce utpote  
 præruptis & arduis ac Rationem status concernentibus parum ponde-  
 ris habeant. Ejus rei exemplum Victorius in Florentinâ Rep: dedit, dantq;  
 alii omnis ævi Pseudo-statistæ qui neglectis, præter Jurisprudentiam, ci-  
 vili scientiâ, studio dicendi, Jure publico, reliquisq; Senatoriis arti-  
 bus, officia in foro judicantium, cum curis, publica negotia volventium  
 inconsideratè confundunt. Sed ut & illud 4. obiter note-  
 mus, reddunt laborem in Ratione status cognoscenda difficilem,  
 diversa scriptorum judicia perpetua quoq; variarum Rerumpub.  
 mutatio, imo *diffusus ille error, quo pleriq; quidquid vel Aristoteles  
 saltem leviter tetigit, vel etiam nominavit non verò ultra sibi  
 inquirendum existimant, quasi vel absoluta essent & pertractæ  
 omnes, ejus disquisitiones, vel non amplius quàm Exempla fortè ad-  
 sumpta significant, tota argumenti ratio patesceret.* 5. Novitas de-  
 niq; vocabuli, cujus tamen mentio primum meritò occupasset lo-  
 cum, non parvam Rationis status scrutatoribus molestiam creare  
 valet. Licet & ea dispelli facillimè poterit, modo mens eorum,  
 nativam qui notationem huic rei primitus imposuerunt, curiosius  
 attendatur. Sane nomen Rationis status in ore populi celebre, fa-  
 ma inter doctas ambigua, intelligentiæ in aularum secretis recon-  
 dita: nisi quod genius seculi nihil secretum esse patitur. Quid-  
 quid sit de nomine (sunt verba Magni cujusdam nominis viri) res  
 ipsa longè minus explanata est Philosophia, argumento fuit, tot de-  
 scriptiones, definitiones disputationesq; politicorum, addidissimè pe-  
 nè abis-

*nè abusiones.* Undè, quod aliàs vulgo dicitur, quot capitâ tot sensus, id optimo jure accommodare possumus ad eos qui rationis status definitionem tradere conati sunt. *Quippè prout quicq; banc vocem diversimodè non modò sumit, Veràm in eâdem nobiscum acceptione alius aliam & diversam descriptionem exstruit; sed irritò plerumq; conatu.* Nunc ad variarum Sententiarum recensionem, nostrâq; demùm expositionem stylum {deflectamus.

(VI.) Quarum alia vulgari vocabulorum sensui inhærens, cum ordinariis Politicæ scientiæ regulis eandem confundit:) Ad vulgarem vocabulorum sensum qui confugiunt, haud incongruum esse putant, Ratio status pro Politicâ seu ordinariâ Rempub. administrandi prudentiâ, si solùm accipiatur. Dicunt etenim, *Quò ratio quid est nisi modus? rò status verò quid nisi imperium, Regnum, Respub. aut quocunq; nomine administratio, Dominatus seu forma civitatis,* in ordinatione & dispositione consistens *nuncupetur?* Ideoq; Ratio status consequenter aliud non erit, quàm Imperii, Regni, vel cujuslibet Reip. administrandæ Ratio? Verum regiâ (sit venia verbo) aberrant viâ. Namq; descriptiones illæ, hoc modo à notatione vocis deducæ adeoq; Rationem status cum communibus potes regulis seu prudentiâ miscentes, præterquam quod tantâ 1. laborant generalitate, ut demonstrare nequeant, *singulare id quod Rationi status inest, sed potius illud abscondunt,* etiam 2. extraordinarium illum Rationis status usum, nescio quam iniquitatis speciem, ex necessitate temporis quæ resultat, præ se ferentem, ullatenus exprimunt. Et posito 3. quod tam Ratio status quam ordinaria civilis scientiæ decreta, ad unum in Civitate colliment scopum, notabilem tamen utriusq; differentiam, mediorum seu Cautionum varietas, non obscurè introducit. *Viri autem prudens est, cum virtute & pietate civilem etiam vivendi rationem qui edidicit, cum Rationem status, tum usitatas politicæ scientiæ regulas, magno cum judicio, invicem copulare, iugq; mutuâ ope & indiscretâ unitate, in sui operis efficaciam, ac unius ejusdemq; finis obtentionem, sapientissimè uti.*

(VII.) Alia affinitatis quâdam specie seducta, Rationem status & abstrusa Rerumpublicarum arcana, præcipuè verò Dominationis, minus subtiliter miscet:) Qui vel modicè ultra vulgus sapit, is in omni vitæ genere ac facultatum ordine, vestigia quædam arcanorum unicuiq; domestica seu *domestica* delitescere deprehendat, qualibus nec Rerumpub. destituuntur corpora; *Suntque intima & occulta rationes siquè Consilia eorum, qui in Rep: principatum obtinent, cum ipsorum tranquillitatis, tum etiam Reipub. presentis Conservanda, idq; boni publici causa.* Horum in numerum pleriq; Rationem referunt status; quod & nos eatenus concedimus, in quantum reputamus arcanum arcanissimum esse interiora Rationis status citè posse pertingere, imò quatenus nobis innotuerit, nullum majus arcanum inveniri, quam Ratione status uti, & non offendere Deum; interim tamen Rationem status & arcana Rerumpub. in unum chaos ne confundamus, severè prohibet, vel hæc rationum haud minima, quod cautiones illæ quas Ratio status in conservationem Reipublicæ imperat, quàm plurimæ Juris publici buccinâ divulgari soleant; *leges ad hæc & statuta ipsa, talia quandoq; intra se continent medea,* quæ ad Rationis status consecutionem faciunt, præcipuè si de ratione status perpetua, sermo erit instituendus. Hinc quoq; inter Rationem status & arcana Dominationis aliquale agnoscimus discrimen, licet Clariss; ille Besoldus distinctionem hanc urpore magis subtilem, quam ut politica tractatio admittat damnare videatur. Notum enim est ex Epitomatore Doctissimi illius Clapmarii Joh. Corvino. 1. Rationem status eo quòd reddat licitum id quod simpliciter loquendo, *rale non est*, contra jus commune aliquandò fieri & specie quâdam ac umbrâ tantum, iniquitatis notari; arcana vero Dominationis nec contravenire juri, nec etiam aliqualem illum iniquitatis subire colorem. Constat quoq; 2. Rationem Status *de facto esse eorum*, quibus summum rerum judicium divinitas concessit; arcana verò Dominationis *de facto Civium seu de ijs, qua vel permissa vel prohibita sunt, in parenti forem genitici*; Addimus & 3. id infallibiliter arguere distinctionem, quod arcana Dominationis maximam sui muneris partem

in eo ponant, quo solius Imperantis salus in tuto collocetur, sicut Imperii, quo ejus tantum vigeat sanitas; Ratio verò status æqualiter, per omnia Reipub. viscera utilitatum undas latissimè diffundit. Non enim ignorat, ægritudinem capitis, membrorum insequi dolorem; Imò *partibus labantibus summan turbari.*

(VIII.) Alia quoq; nescio quid monstri alens, pro castissimâ Virgine, spurcissimum scortum amplectitur :) Sicut nulla aded deformia sunt labia, quæ suos aliquandò non invenient basiatores, ita ex adverso quidquàm præclari humana excogitare nequit solertia, sinistrè sentientium quin patiatur scommata. Sentit id ipsum Ratio quoq; status, dum sæpius à male feriatis hominibus, tanquàm *crudelitatù & injustia asylum, effrena cupiditatis patrocinium, omnis malicia, iniquitatis, fraudum, imò vitiorum manganium* ineptè accusatur; dum inquam, inconsideratè reprehenditur, quasi vel à Cerebellis parâsitorum in aulis Principum degentium. Ratio status sit enata, cui scelerosæ adionum improbitates, legum justitiæq; violationes, veluti excusationis velamento, turpiter involvantur. Hujusmodi farinae sunt, qui Rationem status *normam quaudam ingenii magnatum impressam esse dicunt, quâ illi plerasque suas ad utilitatem & commodum proprium unicè dirigunt adiones, perindè ducentes, quibuscunq; viis ac mediis hunc finem assequantur:* Quomodò Trajanus quoq; Bocalini, referente Hip: à lap: 6. e. Parnasso Apolliaem inducit, aliâ planè & alienam à nostro sensu definitionem fabricantem, quod nempe Ratio Status sit *jus quoddam Principum utilitati inserviens, divinis humaniq; legibus contrarium.* Tantæ verò falsæ opinionis monstrositati quò obviam eamus, consultum ducimus i. veritatis calculo approbatam illam distinctionem hic adhibere, quâ verus ac sincerus unicujusque rei usus, ab illegitimo ejusdem discriminari siveit abusu: Non enim quòd sublimiora fortè capita magnas aliquandò *anusejus & sollecissimos* in Ratione Status commiserint, hæc eadem vel ided in infernalem orbem damnanda venit. Sed nec 2. pura castaq; Ratio status aliquam cum adulterina seu flagitiis Dominationis patitur mixturam, Cùm & eadem tam artium diversa indoles, quàm dissimi-

lis effectuum eventus, à se invicem nobis etiam vel invitis egregiè se-  
iungant. Quippè, dum viperina illa ab Etruria Machiavellistica  
placita, jam Tarquinianorum papaverum decussionem, Turcarum  
adversus affines, Fratres, Bassas, Viseros crudelitatem, fidei foede-  
rumq; violationem, spe colloquii & amicitiae circumventionem, æ-  
rarii ambitione & principalibus profusionibus exhausti illicitam re-  
farcinationem, incestarum nuptiarum exemplo Augusti, Tiberii,  
Ptholomæi Papæq; Martini V. permissionem, Religionis pro lubi-  
tu in hanc vel illam sententiam mutationem, simulationem, divino-  
rum ac sacrorum spoliationem, promiscuè probant, & foedissimâ li-  
centiâ indulgent; longè aliter nostra hæc Ratio status, privatis  
nunquàm suis indiscretè inhiat utilitatibus, nunquàm in innocen-  
tum capita crudeliter grassatur, carne bonisq; eorum suam famem  
satiat, cruore sitim extingvit, imò nunquàm divina oracula calcat,  
honestatis decreta ridet, fidei sacra frangit, pudoris repagula trans-  
ilit; Sed divinitatis propositâ normâ, habitâq; maximâ, Numinis,  
fideiq; ratione, ad civilis vitæ beatitudinem unice adspirat, ac ad  
publicæ salutis gloriam cuncta dirigere novit; & si extra commu-  
nem fortè juris cursum aliqua admittit, id statim tranquillitate o-  
mnium rependere solet. Dehinc. 3. Monstrum illud Rationis sta-  
tus, quo jure, quâ fronte, rationis nomine condecorare convenit,  
quod omni Rationi bellum inducit, rectæ rationis imperia conte-  
mnit, ejusdemq; dictamini è diametro sese opponit? quo item jure,  
quâ fronte Rationis Status? quæ statum Reip. non conservat  
sed perturbat, convellit & ad ruinam protrahit, cujus quoq; con-  
suetudinis incrementa, certissima sunt rei & utilitatis publicæ de-  
crementa. Testabatur id olim, lugubriluctu ejulatuque Gallia, in  
ante à nobis citatâ profopopœiâ, quæ sic exclamans introducitur;

*Mox verò ut Gallos pereundi insana cupido  
cepit, & externa irrepseret volentibus artes,  
Hospitiumq; dedit famamq; huic Machiavello:  
Degener antiquis pridem virtutibus Aula,*

*Ex illa*

*Ex illo Galli furere ac retrò omnia ferri,  
Cedere fas & avita fides; ac foedere rupto  
Perfida sanguineis Discordia fervere campis.  
Hos inter motus quid non experta laborum!  
Quos, heu, non clades, quæ non incendia vidi?*

Scilicet, tantum est, verum à falso, lucem à tenebris, mel à felie, salutem à morbo, castissimam Matronam à Diabolari prostribulo, medicamina à veneris, publica à privatis posse discernere.

(ix.) Sed nec deest, quæ Rationem status pro prudentiâ mixtâ seu extraordinariâ solummodò venditat) Hanc prudentiam Extraordinariam, quæ pro ipsâ Ratione Status à multis accipitur, per *argutum consilium à virtute aut legibus devium Regis Regniq; bono*, Lipsius compendiosè describit: Triplicem quoq; eam constituens, utpote unam *levem*, haud longe à virtute abeuntem, in quo genere ponuntur diffidentia & dissimulatio: Alteram *mediam* ab eadem virtute flectentem longius & ad vitij confinia venientem, hanc absolvunt Conciliatio & deceptio; Tertiam *que à virtute non solum sed & legibus recedit*, uti sunt perfidia & injustitia; concludit itaq; hanc damnando, illam tolerando, istam svadendo. Atqui, utut concessum sit Imperantibus tali prudentiâ extraordinariâ seu mixtâ uti; nam duplex est officium prudentiæ Civilis: *Cives non solum vi ac metu pœnarum, sed etiam astu, præmiorum exhortatione, & persvariunculis in officio Continere*, quorum illud Icti hoc Politici proprium reputatur: Hinc verissimum nostro quidem iudicio Frederici III. Enobarbi sive Sigismundi Imperatoris manet apophthegma: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*: quia ut ad effectum suorum consiliorum veniant gubernatores Rerumpubl: multa simulent oportet inviti, & dissimulent cum dolore; alias quodq; omnino pessumire necessum habet is, qui ignorat quandoque *ἀλοπέκων πρὸς ἑἑραν ἀλόπεκα*, in quantum scil: salva pietate & Conscientia rectâ fieri potest. Tamen, eo appellationis genere genuina vis & natura rei quam Ratione Status non ineleganter hodiernus loquendi notat usus, nequaquam exprimitur.

Dica-

Dicendum ergò Rationem Status non esse prudentiam mixtam *κῶ*. *είας* seu propriè loquendo, sed potius id ipsum utile, quod per eandem in Respub. introducitur, & prudentiam mixtam tanquàm medium saltem tegendi actiones, Rationi Status inservire.

(x.) Nec deniq̄ quæ pro Contraventione juris communis & Ordinarii pugnat:) Nonnulli circa acuratus scrutinium cum deprehenderent privilegia plerumq̄; Rationis Status, à semità legum quoque positivarum longius recedere, occasionem subinde captarunt, ejusdem indolem in contraventione earundem collocare. Videbant adhæc ab officio Viri cujusdam civilis valdè alienum esse, negotia populorum, acta Regum, fata Rerump. ex ordinariis Juris præscriptis ita velle ponderare, ut hisce attentis, undè unius vel alterius privata pendet salus, causarum publicarum molimina vel minimè posthabeantur. Oberrabat quoque procul dubio mentibus illorum, legum imbecillitas in subveniendo casuum multitudini in politico illo theatro agminatim occurrenti. Nullæ namq̄; leges communes, ita omnibus suis sunt absolutæ numeris, ut cuncta comprehendant, quæ res Imperantium & parentium jam prosperæ, jam adversæ, jam deniq̄; ambigux efflagitare possunt. Quicumque itaque fuerint qui has ob enumeratas causas, Rationem status & Contraventionem Juris Communis in communionem rei admittant, iis nos, nosmet opponimus dicendo, ipsam contraventionem ad tantum nunquàm exsurgere dignitatis culmen, quasi ea Rationis Status genium exhaustire valeat: Interim tamen eandem, velut Rationis status consequens sive effectum plerumq̄; concomitantem acceptamus: imò adserimus, Rationem quidem status, sese nonnunquàm exserere contraveniendo Juri communi & ordinario, seu quod idem est, circa exercitium Rationis Status contraventionem quidem fieri Juris, hunc nihilominus Rationis Status nomine, esse indignam.

(xi.) Nos trutinatis singulis, circa utilitatum & necessitatum polos, quibus Forma aliqua Reipublicæ vel introducenda, vel conservanda innititur, præcipua Rationis status momenta circumgyrari, sincerè putamus)



Fundamentum tantæ hujus adfertionis, quod per *Rationem Status* utilitas *Rerumpub:* intendatur ac intelligatur, subtiliter peri potest 1. Ex ipso Lucio Annæo Floro in Anachephalæosi ipsius de septem Regibus Romanorum, ubi is deprædicando ardorem Romuli invadentis Regnum, Numæ religiositatem Deorum metu ferocem populum mitigantis, Tullii Hostilii in acuendâ ratione virtutem, Ancii Marci magnificentiâ in extendendâ coloniâ urbe; Tarquinii Prisci ornamenta & insignia ad conciliandam ex habitu dignitatem, Servii Censum, & postremò superbientis illius Tarquinii impotuntam dominatione, tantis elogiis effert, eosq; omnes tantâ fatorum industriâ, ingeniiq; varietate, ita rempub. gessisse testatur, prout ejus Ratio & utilitas postulare videbatur: per *Rationem* verò *Reip.* laudatum Auctorem nihil aliud quam Conditionem & utilitatem ejus, quam hodiè la ragion distato appellant, intellexisse volunt Doctissimi ejus Commentatores Freinssemius & Nicolaus Blanckardus in suis ad illum indicibus. Eundem planè in sensum Eloquentiæ ille Parens, Plancum adhortatur in literis ad eum scriptis, ut instantibus rebus & subitis & angustis senatus consilium non semper ex peteret: ast ipse sibi quandoq; senatus esset, & quocunq; eum Ratio *Reipub:* duceret, sequeretur. 2. Hæc & similia receptus, apud harum rerum peritos loquendi mos pariter confirmat; namq; ad quæstionem cur hoc vel illud tanquam insolitum vel extraordinarium in *Rebuspub:* fiat vel admittatur? reponi haud ineptè solet à statistis, propter *Rationem Status* seu publicam ejusdem utilitatem. Sic propter eandem Magni illi Muscoviæ Zaeres, vel peregrinationes suorum severè prohibent, vel omnes de *Religione* discursus exulare jubent, vel etiam crassam bonarum litterarum ignorantiam approbant, cum nolint quemquàm inveniri ex suis, qui ipsos sapientiâ aut rerum cognitione superet; Illud enim maximum ad *Majestatem* tuendam opininemq; vulgi dese augendam momentum esse, illi sibi persvadent: Idem sentiendum de Rege Daniæ, quem propter eam *Rationem Status* nuper templom quoddam Catholicum exstrui curasse accepimus, ut Romano Catholicos, procul dubio sibi devinctos teneret, præcipuè non dum decilâ Controversiâ illâ Holsaticâ. Propter *Rationem* quoq; status seu utilitatem & necessitates fieri.

tates, fieri & illud dici potest, quod Meleander apud Barclaium: Privatorem, inquit, est eligere matrimonia ex affectu amicitiae vel morum concordia. Nobis illa svavitas exuenda. Charissimus esse solet qui potentiam nostram alit, & affinitates pulcherrimae censentur, quaecunq; Regnum stabiliunt. &c. Adhaec 3. Rationem status ex utilitatibus & necessitatibus Reipub: esse metiendam, docet Rationis status mutatio, variante sese utilitatis fiducia; Scilicet, is status est politici orbis: nihil potentius venit ac separat Principes uti commodum, solvitur unio quam primum spes de emolumento decollat. Hinc Ratio Status, vetustissimos saepe sibi confederatos relinquere jubet, imò ab amicitis recedere, & cum antea infensissimis nonnunquam pacisci. Sic propter mutatam Rationem Status & foederis utilitatem, Imperator Romanus & Sveciae & Angliae ac Hispaniae, exclusa Gallia, licet sanguinis jure sibi adglutinata, non ita pridem, partibus favebat. Sic foederatos quoq; Belgas variante sese Ratione Status & exorto inter ipsos & Hispanos bello, Clivensis Ducis, Electorisq; Colonienfis Civitates, licet propter vicinitatem & amicitiam perennem sibi conjunctissimos, suam in ditionem redigisse, quin & limitaneo earundem ditiones agro, castella plurima atq; militiae opera fabricasse, ex publicistis patet. Haud dispari Consilio Elisabetha Angliae Regina, paulò ante pro fundamentaliquasi Ratione Status habuit, si exterminaretur Religio Romano Catholica (eo quod hoc unico medio, Hispanorum machinationes impediri possent) postea verò quum Rationem sui status praeter communem aliorum Principum in eo sitam esse peculiariter intelligeret, ut Religionem protestantium propagaret, inde pari zelo eosdem non modò in Gallia ad se allexit, illisque favebat, sed & in omnibus negotiis eorundem Interesse tenacissimè observare studebat. Sexenta alia ejusmodi Rationis Status Exempla expendere, & omnia ad utilitatum & necessitatum metam collimare deprehendas. 4. Communitè quidem dicitur, ab auctoritate, infirma plerumq; deduci argumenta; attamen ubi auctoritas rationibus fuerit munita, nae haec, longo post se intervallo, secus sentientium, relinquere solet judicia. Cum proindè huic quoq; sententiae suffragentur viri undiqvaq; Doctissimi, placet ex

et ex iis, duos tantum nominare, qui instar omnium hoc in negotio erunt. Horum prior est magnus ille & Philosophus & Medicus Hermannus Conringius in libro de Civili prudentia, qui Rationem Status optimè exprimi putat per commodum sive utilitatem publicam Civitatis, adè ut quidquid usus Reipub: exigit, id ipsum dicat esse quod Ratio Status postulat. Alter verò est insignis ille Boælerus, qui itidem in Annotatis suis ad Vellium Paterculum eidem subscribit: Rationem Status adfirmans salutem & necessitates Republicæ denotare; reliquos omittimus: Cæterum 5, dum intra utilitatum & necessitatum polos majora Rationis Status momenta volvi adserimus, absit ut quascunq; utilitates ac necessitates respiciamus, sed graviores duntaxat & quas honestis & Jus Dominationis, quo Ratio etiam Status stipata fulget, ob necessitates quandoque vel temporis vel perpetuas, per acres ac severas rationes statisticas, sive ad Formæ alicujus in Republicam introductionem, sive ad firmiorem ejusdem conservationem fieri mandat: quare verè dixit sensitque Aristoteles: *Parent omnes ei, quod utile est, utile autem est id, quod conservat Reipublice Statum.* Plura disputationis conflictus luppeditabit.

(XII.) Insuper tamen admittentes, eandem secum vehere jus quoddam singulare, iis, penes quem vel quos, summa in Civitate residet potestatis plenitudo competens,) Arguit præter utilitates & necessitates, juris quoque *ἐνέργειαν*, quæ mediante illæ sunt procurandæ, in Vocabulo rationis status 1. Communis ejusdem hodiernus usus. Etenim, quandò de ratione status loquimur ait, Hipp. à Lap. *speciale aliquod jus & secretiorem quandam politica partem ferè denotamus.* Huic consonat Clapmar: qui præsuppositis utilitatibus & necessitatibus, quibus ratio status invigilat, hanc eandem per *jus quoddam supremum definit, bono publico introductum, sed tamen à lege divinâ non alienum.* Unde Henricus Henning: *Religiosè & Civilius, ingvit, illi sentiunt, qui politicam institutionem satis plenam esse negant, quæ utilitatem cum jure non conjungit.* Huc etiam constat respexisse Carneadem quem Grotius in l. de Jure B. & P. citat, si sano saltem sensu verba ejus accipiantur; *Utilitas propè justæ mater est ac æqui.* 2. Si jus est quid-

dam conservans Civitatem, quo hæc salva sit maneatqve, nescio an non Ratio status tanti officii partes ritè subire queat? Exeunt enim in publicum valido juris nomine munita, quæ ordinariâ suâ potestate ad finem Reipubi; obtinendum dirigunt summi rerum Moderatores; verùm quanto conspectiori Juris titulo, superbiat Ratio status, cùm mediis, quorum præsentia nunquam nisi florescere, potest salus publica, absentia cadere, onerata accedat. 3. Fundamento autem ne videatur Jus Rationis status insistere vel nullo vel infirmo, tribuimus eidem Complexum omnium Jurium Majestatis, in quo tanquam basi magnitudo ejus fulcitur. Idem sentit Bœclerus, qui ex Majestate tamquam ditissimo Gazophylacio aut arcano sinu, quidquid est juris ac Rationis in Ratione Status progigni adfirmat. Hinc 4. fluit quod Rationis Status exercendi jus iis duntaxat competat, penes quem vel quos summa in Civitate residet potestatis plenitudo, adeò ut de eodem nemini excepto Principe disponere liceat. *Est enim tale quo nihil excelsius nihil augustius in hac humana societate excogitari potest, secundum eam que dicitur lex sive jussum immortalis Dei.* Interim tamen Principes, quamquam supra reliquorum hominum sortem elevati imò exempti sint, in istis autem duobus præprimis cæteris mortalibus pares esse deprehenduntur; dum scilicet fata & mortem effugere illis minimè licet, cùm mors æquo pede & Regum Palatia & pauperum casas ac tuguria, pulsare soleat. Deindè Principes se homines esse meminerint, quòd Regimini suo soli præesse nequeant, verùm aliorum indigeant officiis & adjumento: ubi primam lineam nobis ducere videntur fidi eorum, quæ ex usu Rationis status sunt Consiliarii, *qui moderatâ libertate verè salutaria & utilia suadent, nec minus cum Principe, quam Principis fortunâ & Reipublica indigentia ac utilitatibus colloquuntur;* Qualis olim fuit Curtianus ille Hæphestio. Sciant quoq; hi, imò omnes parentes, ubi publicus usus salusque suadet, quæ semper cum Principis usu & salute conjuncta esse censetur, ibi etiam sese *tanquam in orbe aliquo Reipub. stare debere.* Certè quod omnium in utilitatem vergit, id omnium cura ut promoveat fas est; Communis quippe utilitatis derelictio ab iis qui in parendi sortem geniti sunt, non tantùm est contra naturam sed etiam

etiam rectam rationem. At sciendum, dum Jus Rationis Status per alios administratur, quam per Principem, illos non suo sed hujus nomine & quidem procuratorio id exercere. Nam quemadmodum virtus animæ per totum corpus & omnia membra diffusa, sua per instrumenta exsequitur mandata: Sic summa potestas per ministeria aliorum suam exerceat auctoritatem. At uti hac in parte politici, & ministri Magni Principis valde Prudentis exemplum Antipater præbet; dum non auderet, nec voluerit arbitria victoriæ agere. *Ministri est nunquam in suam famam gestis exultare, sed ad Authorem & Ducem fortunam referre: ita virtute in obsequendo, verecundia in predicando, extra invidiam nec extra gloriam perpetuo maneat.* Sed ut ad Jus Dominationis revertamur. Est §. hoc adeo verum, quod illud, una cum utilitatibus & necessitatibus Ratio quoque status spiraret, ut etiam illi Reges & Principes in quibus nulla religio, nulla fides, nullus honestatis ardor, circa pravæ suæ Rationis status exercitium, velint tamen religiosi, fidei tenaces imò virtuosos videri adeoque diabolares suas Rationes statisticas sub justo nomine potissimum commendare. Sic de Ferdinando Arragoniæ Rege Guiccardinus refert, omnium suarum actionum injustitiam solitum eum velare, publico Religionis & juris pallio. Denique §. 6. Sicut nulla Ratio status invenitur, quæ non aliquod jus obumbret, ita quoque *nec dicendum est aliquem Ratione Status uti, si alio quopiam ordinario Jure id egisse dici possit:* Cum ex Tiberii sententia, nemo imperio agere debeat, ubi lege agere potest. Quapropter etiam vocem τὸ singulare ad latera vocabuli Juris in inscriptione hujus §. adjecimus, quo fieret discrimen Rationis status cui legibus soluta illa potestas ubera præcipue præbet, & Juris Ordinarii, juxta quod quidem dicitur Imperantes decere eas servare leges, quibus ipsi soluti sunt, & profiteri cum Divo Severo & Antonino se legibus solutos legibus tamen vivere, sed eo dum saltem, quoad populi salus, publica utilitas, imò & necessitates variæ, contrarium non imperent;

(XIII) (quidquid stomachentur fucatæ superstitionis sceleritate delinita pectora) Inventi sunt olim, imò & habet hodiernus dies quàm plurimos & Zenones & Catones, actiones sum-

marum potestatum, velut impias & injustas traducentes, quæ intrinsecus consideratæ cum omni bonitate morali, benè conveniunt: *Inveniuntur inquam, Simplicem nudamq; Justitiam in scenam qui producant, tanquàm hic mundus in quo vivimus, non satis diu ante Astram in cælum abire coegerit; quibusq; cum directum illud in publicis negotiis tantùm ad palatum est iter, fas non putant Rationem status optimo licet consilio stipatam, ad extraordinaria & utilitatibus Rerumpub. inservientia media, salubriter flectere. Quam ob rem non immerito culpatur Cato ille Uticensis, quod cum patria in ultimo versaretur discrimine, nimis antiqui moris retinens, ita omnes suas actiones instituit, quasi fato delatus esset in Platonis Rempublicam, non autem versaretur in fece Romuli. Consimilis etiam antiquus rigor & nimia severitas Galba nocuit, cui iam patria non erans urbis vitia. Constat potuisse conciliari (inquit Fortin: in notis ad Tacit.) animos milium quantulatūq; parci senis liberalitate, sed cum intempestiva severitate legi à se militem nō emi pronuntiasse vice & imperio excidit. Sed valeāt insipidi ejusmodi homines, qui quantum nimia pietate, nolumus dicere superstitione excellere cupiunt, tantò nos Reipub: communisque salutis amantiores videri volumus, & quantum illi de jure & æquitate demicant, tantum nos de salute populorum atqve incolumitate liber decerrare. Absurdum enim est in hominibus extra Platonis πολιτείαν in Romuli fece viventibus tantam morum sanctitatem quærere, quæ solius virtutis amore benè agere noverit. Nec in spissis illis & tenebrosis contemplationibus versandum, ubi in pulvere scholastico putres fingere ac refingere sine ullo publico rei præjudicio, possunt quæcumq; lubent. Nobis civitas præ manu est, quæ vitam & actiones practicas expectat. Cæterùm species illa iniquitatis, quam in publicis negotiis præcipuè verò in Ratione Status exercenda olfaciunt nonnulli, devorare vero & concoquere nequeunt, revera iniquitas non est, & si sit, publico recompensatur bono. A justiciâ enim nonnunquam quis recedere in parvis negotiis debet, si eam salvam volet in magnis. Nemò quoque tam plumbeus est, ac τῶν κατὰ τὸν βίον πραγμάτων, ignarus rerum quæ eveniunt in hac vita, ut nesciat, aliquid ex iniquo habere, omnè magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur.*

ditur. Certè faciat sapiens etiã quæ non probabit, ut ad majora transitũ inveniatur, nec relinquat bonos mores, sed tempori aptabit, & quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utatur agenda rei causa. Verũm, insurgat fortè aduersus nos aliquis διωλιζων εν κãνωπαε, τιν δẽ κάμηλον καλαπίναν, obijciendo illud Divi Pauli μη πιήσωμεν & κακã, ñα ἔλθῃ & ἀγατã; Ei nos cum Excellentissimo Besoldo τιν ἀμφοῖν largimur, si toto genere & natura sine mala & iniqua, quibus Ratio status utitur ad sui finis obtentionem, quæq; nullius boni publici æquiq; prætextu excusari possint. Mala autem talia non sunt, sed pro intentione nocendi, quæ si absit, quasi apicularum morsus sunt, quibus dempro aculeo, non subest virus: ac ut ut subest tamen per necessariam id absorbitur publici commodi defensionem; Quare etiam homicidium in terminis inculpatae tutelæ commissum in foro poli excusabile existit. Claudimus itaq; hunc locum veriloquio Nicephori: *li qui in una Dei cognitione omnes cogitationes pronunt, montes & spelunca conveniunt, at qui cum virtute & peccate, civilem etiam vivendi rationem edidicit, & notitiam sibi comparavit variarum rerum, ille verò populum ad optima ducere idoneus est.* Unde quoq; apparet, non omnes ad Rationem status exercendam idoneos esse, verum eos dumtaxat, quæ sunt περιήρωτα, versatiles, exercitatorq; vultu atq; ingenio, quæ vè videri nolunt, quod sunt; non circa omnia nimis cauti & abscessi, sed qui ea qua speciosa sunt, permittunt, ut majora eliciant.

(xiv.) Ejusmodi Cautiones seu rationes statisticas adhibendi, quæ ad faciliorem illarum, adeoq; publicæ salutis consecutionem inservire possunt.) Priusquam ad ulteriora crenna nostra dilabatur, B.L. præmonitum vosumus, ne huiusmodi Rationes quasdam sive cautiones à nobis hoc vice curiosè notatas expectabit, cum illas de industria relinquere, quam periculose recensere satius esse ducimus. Nescimus enim quis nobis illud Platonis in aurem ου τι γε οι λόγοι χαλεποί: Difficiles nec sine periculo hi sermones. Quod vero remedia illa ac media quæ Ratio Statu usurpat in promovendis utilitatibus & necessitatibus reipublicæ, cautiones seu rationes statisticas vocaverimus, non videtur esse

esse res proluxa disputationis, modò illa ipsa ad metam suam dirigantur justam, salutem scilicet populorum, quæ supremæ legis vigorem perpetuò obtinebit. Eò enim omnis politica, eò omnis Ratio status cum suis collimabit artibus. Quid quæso magis coronata decorat & roborat capita, quàm si haud secùs ac gubernator navigii cursum secundum, Medicus salutem, Imperator victoriam, ita illa sibi beatam civium vitam propositam habeant, quò hæc opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta perpetuò floreat; quare & hoc uno caractere à Tyranno distinguuntur; cum hic Ἰὸ εὐτυχῆ συμφῆρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχωμένων. i. e. ad propriam utilitatem feratur, Rex vero ad subditorum; Rationem ulterius quærenti date potest Xenophon, quoniam ὁ βασιλεὺς εἰρεῖται, ἕκ ἑνα αὐτῷ καλῶς διατελεῖται, ἀλλ' ἕνα ἡγὰ ἐλόμενοι διὰ τῆτον εἶν πρότῳσι. Rex eligitur non ut sibi ipsi beneficiat sed ut eligentes per hunc se rectè habeant. Quicumque igitur ad regale solium evedti orbem terrarum sceptris gubernant, recenti in memorià illud Senecæ habeant, Civium non servitutem sibi traditam sed tutelam, neque Rempub. suam esse, sed se Republica. Meminerint præterea cum Livio firmissimum id imperium, & illius Principis magnitudinem stabiliter fundatam persistere, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt. Hinc quoque Tullius iis qui Reipub. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta commendat: Unum ut utilitatem Civium sic tueantur, ut quacunq; agunt, ad eam referant; alterum ut totum Republicæ corpus curent, ne cum partem aliquam tuentur reliquas deserant, ut enim tutela, sic procuratio Reip: ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad eorū solam quibus commissæ est, gerenda est. Quocirca Imperantes cum consulunt, sive per Rationem Status, sive quocunq; modo populo, removebunt à se suspicionem alicujus sui commodi faciantq; fidem se nihil nisi publicam utilitatem & fructum quærere; unde Poëta;

*Te Civem Patremque geras, tu Consule cunctis  
Non tibi: ne tua te moveant, sed publica damna*

Ast dicat quis ex observat: Joh. Adami Osiand: in lib: Grotii De I. B. & P. Quod sicut illorum debitum non est, qui jura aliis præscri-



scribunt, ut in eo aliquam civium utilitatem vel soleant vel debeant spectare, id quod ex imperiis Despoticis & Dominatu, qualia sunt Orientis, in Asia sinensium, in Europa Ducis Muscoviæ, & aliorum, luculenter patescit: quia 1. Dominus non curat tam servi utilitatem quàm propriam, nec 2. cessantibus utilitatibus legis subditus ab ejus obligatione solvitur. Imò 3. non tenetur legislator adferendam legem utilitatis causa, nisi vel ex regula prudentiæ vel ex motivo cujusdam virtutis; ita nec tenentur illi vi Ratione status publicum subditorum commodum respicere, adeoq; minus rectè Rationem Status generali conceptu, publicis reip. utilitatibus velificari debere à nobis adstruitur: Hunc objectionis nodum, præterquàm quod demonstratio dissimilitudinis utriusque tam legis Civilis quàm Rationis status ac Juris publici explicaret: etiam eundem distinctione inter utilitatem reip. & publicam Civium salutem facitè solvimus. *Suaviter equidem nos deciperemus, si supra nominatos illos aut etiam in aberrantibus Rebuspub; ad clavum sedentes, civium commodum pro scopo habere adfirmaremus;* Extra omnem nihilominus dubitationis aleam positum est, *illos sedulo agere, ut Respub. sua quæcumq; tandem fuerit, perpetua maneat,* imò ut dominationis suæ filium quàm durissime continuent.

(xv.) Cæterum, ne quis in errorum devia circa apprehensionem Rationis status abripiatur; imaginarium ejusdem phantasma à vero & genuino discriminare placet habitu; ) Eorum qui hoc modo Rationem status in veram & imaginariam distinguunt eminet Nobiliss. Dn. Puffendorff. Nos autem paulò fufius rem explicantes, veram & sinceram eam esse dicimus, cujus exercitium, cura promovendæ salutis publicæ ac infucata utilitatis accendere solet, quæque ab amore & desiderio publici boni unice proficiscitur, id est, à tali origine, quâ rerum quæcumq; incrementa promoveri consentaneum est; qualem in Sveogothico hoc Regno vigere tam Historiarum monumenta, quàm scripta politica utpote Funccii & Conringii, imò plurima alia millena millia hodiernusque testatur status, qui nescio an unquam ad eò firmis stetit pedamentis, ac eundem à septentrionali illo LEONE & Potentissimo

tissimo Monarcha CAROLO nostro XI. nunc roboratum cernimus: Cujus idè Coronam multos per annos fata, non tantum septentrionalibus, sed totius quà quà patet orbis regibus, in specimen æternitatis, ac felicitatis regulam splendescere faciant!! Imaginariam vero rationem status, eam nuncupamus, quæ sicut vel ab imperitiâ status prognata, vel ambitionis, potentia, aut vosupratum stimulis incitata, putativo cuidam commodo foedè inhiat, falsæq; hypotheseos superstruitur utilitati, cujus vel consecutio, vel in effectum deductio, absq; insigni aliorum peragi nequit injuriâ, occasionem aliis dante adversus sese quoquomodo insurgendi; *Non enim si vos imperare vultis* (ait emphaticè & eruditè Tacitus, *sequitur ut omnes imperium accipiant*; ita etiam ex fictitio quodam jure tanquam turbido fonte, impurè ebullit. Exempli vicem hic subire potest Mucianus ille Cornelianus *Qui imperium Vespasiano obtenturus cum pecuniam velus belli civilis nervos conquirere opus haberet, non jus aut verum in cognitionibus, sed magnitudinem opum spectabat: id est: acquirere pecuniam sibi studebat ex Judiciis, dum non secundum Jus judicabat, sed prout, quàm plurimum pecunia causa afferret: passim delationes & locupletissimus quisq; in pradam correpti. i. e. reperiebantur qui divites deferrent condemnandos, ut bona ipsorum publicarentur & infiscum redigerentur; qua gravia & intolerabilia sed necessitate armorum (falso puta) excusata: scilicet Imperium Vitellio alia ratione adimi non poterat, quàm armis, hac neq; aliter parari quàm pecuniâ, poterat, necessitas E. armorum hoc in casu erat ratio Status, sed imaginaria. Eidem censuræ subjacet issarum Gentium ratio status, quæ per hanc, potentiam tantùm aut vosuptates, in quibus tamen vera non requiescit beatitudo, aucupantur. Talis olim fuit Romanorum, fuit & talis observante Aristotele, Lacedæmoniorum Ratio status: hodiè haud absimilem Turcarum Imperator sibi habet propositam, habet & talem Gallus; Is quippe non contentus acquisitos à majoribus terminos tueri, alias atq; alias ditiones adicere regno suo quàm maximè studet, diu universalem Monarchiam meditatus. Relinquimus Rationem status imaginariam olim apud Sybaritas vigentem, quæ ad voluptatum tantum scopum ruebat, illorum enim perpetua lexerat: NEMO NOSTRUM FRUÏ ESTO. Schema denique*

denique imaginariæ Rationis Status repræsentat Hispania, quæ, non quod religioni suæ id debere existimet Papam Romanum observat, sed ut à Pontifice imaginarium & scenicum jus in alia regna ac provincias tantum modò obtineat, speciosoque religionis & pietatis velo, crudelitatem suam abscondat. Plura addere non licet. Concludimus itaque quemadmodùm vera Ratio status orbis politici bases in concussas servat, ita imaginaria, is ipse fomes est, qui totum terrarum circumfusus suis flammulis olim consumat. Proindè illa ut efficax, sic optabilis est & Commendatione digna; hæc verò tanquàm imbecille civitatum præsidium, ad profanos, quibus non curæ quomodo sed quantum corradere queant, prudenter releganda.

(xvi) Qui vicissim quandoq; vel à temporum varietate diversum sibi schema induit;) Generaliter loquendo solertior ipsius temporis observatio, in hac Temporariâ Rationis status philosophiâ, utramq; paginam facit. Tempus enim uti mutat utilitates humanas & transponit, ita ejusdem ratio requiritur circumspecta. Sanè Tempus & cum manet forma Reipub; multa interius nova ac singularia insinuat, & idem etiam quamquàm eadem forma non permaneat, ad momenta Rationis Status pertinentia, plurima inducit. Perspexit hoc Tacitus, *genuinum prudentia caracterem caliditate, i. e. solerti intelligentiâ temporum dum desiniret: Scil. sapiens politicus, sui seculi, suæ Reip; suorum temporum homo esse debet.* Nam, ut exerciti & scientissimi Gubernatoris est, omni se ventorum mutationi accommodare, sic providi Navem Imperii Regentis, aptare se temporis. Cumque huic, in publicis negotiis præcipuè verò adversis, multò efficaciorum inesse dicat necessitatem Curtius, *quam rationi quandoq; & Consultationi*, ita quoq; vivaci Imperantium in pectore hæreat semper, quod in aurem ipsis susurrat Symbolum illud prorsus politicum, Theodosii Junioris; *Tempori parendum.* Id masculè præstabant Athenienses, qui etsi in sanctius erarium mille talenta seposuerunt, sanctiâ capitis penâ, si quis de eâ erogandâ censuisset; acceptâ tamen in Sicilia ingenti clade, ad extremas deducti necessitates, antiquatâ lege, contrahendâ soppis Sinfraucta classi pecuniam illam omnem insumpserunt. Eidem

obedientiam quoq; præbuit, adeoq; à Ratione status Temporaria præsidium sibi petiit Comes Holsatiæ Johannes, is enim videns sese regi Sveciæ Magno, tanto adversario non futurum parem, *exemplò quod dicitur necessitatem temporis in virtutem vertebat; Ergo quidquid è Scaniâ, Hallandiâ, Bleckingiâ & Lysivis sibi obæratum habebat, id venditio ne cum Sueconibus initâ, acceptis 70000. argenti puri marci, Magno in totum transtulit.* Cæterùm, Temporariam hanc Rationem status; variabilis vicinarum gentium conditio, vires, debilitas, opes potissimùm progenerare solent. Quem enim latet mutationem Rationis status eorum, qui Reipub. nostræ latera claudunt, etiam inferre mutationem Rationis status nostræ Reipub. Itaq; si contigerit quandam proximè nobis adjacentem nec satis opibus potentiâq; suffultam Reipub. à potentiore quodam viriumq; magnitudine satis valido hoste acrius infestari, illam Ratio status Temporaria svadet, omni animi conatu præsentiq; opitulatione ut sustentemus, ne corruat, quippè propria nostra securitas id efflagitare videtur: at vice versâ, redeunte hoc nostro oppresso vicino ad pristinum suum vigorem, roburq; antiquum, evanescit protinus prior ille respectus, ne fortè accessione majoris potentiæ ex Confœderatione nostrâ, nobis ipsis minus rectè prospiciamus, adeoq; contraria iterum media ab hac Ratione Status Temporariâ imploranda sunt, quibus, nobis in detrimentum crescentes finitimorum vires, debilitari queant. Quare sapienter Dominicus Trivisanus apud Forstnerum in Not. ad Tac. sic loquens introducit; *cogimur parere necessitati temporum & sæpè mutare voluntatem, propositum, amicos, & inimicos, suspectam habere omnem externam potentiam, timere multa, fidere paucis & perpetuâ vigilantia aliorum actiones observare, ut ad illas instituamus nostras, habentes in ista inconstantia unum constantissimum & firmissimum propositum, Conservationem status nostri.* Assiduum hujusmodi Temporariæ Rationis Status Cultorem, adeoq; hominem consilii gravem, domi forisq; variis pro patriâ negotiis exercitum fuisse Leonardum Hemum, tam facta quàm propria ejus verba ab eod, Forst. citata probant. Is quippe *non dubitamus, inquit, accedere modò huic modò aliis, quomodò nobis svadet temporum ratio & utilitas nostra.* Tertius decimus nunc annus est,

mus est, cum Regi Francia fœdere juncti essemus. Verùm adolescentibus Casarianarum partium viribus, in Italia nec comparentibus Franciis auxiliis, ut impossibile videretur impetum hostis sustinere, Casaris Fortuna cœssimus: secuti consilium quod nobis suggererat securitas rerum nostrarum; Casaris desideris morem gerentes, residuum Gallicorum exercituum Italiã eiecimus. Verùm paulò post resurgente Gallicã factione, cum ipse Francicus Rex expeditionem suo ductu adornaret, relicto quod cum Casare nobis intercedebat fœdere, veterem cum Gallo amicitiam confirmavimus, cui cum adversè omnia & contra opinionem successissent, dissipato exercitu & ipso Rege capto, ut victoris potentie in tempore obviam iremus, denuò cum Casare, pacti sumus, cujus magnitudo atq; potentia cum inciperet esse suspecta, utut primum in Francie Rege, jam tunc liberato, expediendorum armorum cupidinem advertimus, sociosq; nos illi præbuimus exigendis ex Italia Casarianis &c. Hæc omnia non duorum omnino annorum spatio sagacissimus hic Hemus, semet gessisse, ipse profiteretur.

(XVII.) Vel etiam ob æternitatem suam, in perpetuum quasi decretum, abire consuevit.) Per verba hæc Rationem Status, quam Statiltæ vocant, perpetuam, intelligimus, quæ Rationi Status Temporariæ è Diametro respondet. Ad hæc verò rectè instituendam, conducit, situs Rerumpub: qualitatis Regionum, inclinationis populorum, apta consideratio, huc quoq; facit notitia incolarum, an sint robusti, an imbecilles, an stupidi, an solertes, an ad audaciam proni, an verò ad metum propensi, an denique dolosi, an sinceri, an pacati, an feditiosi. Undè, sicut Imperantium mores populus exasperat, ita Thraciæ Regum perpetua Ratio status fuit, rigidis plerumq; artibus, discordantis ejus gentis ferocitatem frangere, quod tantò majus opus Herculeusq; labor erat, quantò magis sylvarum & montium situs cum ingenio populi concentum habuisse constat. Itaque hæc ea Ratio status est, quæ Principem tam ad cerebella, locorum asperitate durata terrarumq; situ formatâ quoquo modo emolliendum Compellit, quàm etiam eundem informat, valdè periculosum esse, ingenuis impetare, quasi in mancipia

dominaretur, cum liberis pretium servitutis ingratum sit. De hac, perpetuâ Ratione Status, accipiendum, est liberum illud sed verum Polonorum monitum ad Henricum III. è Gallia accitum, *ut modum rationemq; gubernandi non discursibus è Gallia allatis, sed ingenio & moribus Polonorum metiretur.* Undè quoq; inter præcipuas doctrinas politicas retulit Bodinus de conformando civitatum Statu pro Regionum ac populorum varietate, quibusq; disciplinis gentium mores, dissimilesq; naturæ percipiantur. De cætero scientiam necessariorum vitæ, tam quibus regna gaudent, quam quibus illa carent, nec non noticiam, utrum regio aliqua facilè commercia instituire possit, utpote Anglus & Belga, nec ne? an milite demestico Respub. utatur? an externo seu conductitio? atq; utrum sufficientiant proventus Respub. ad eundem alendum vel secus? perpetua Ratio Status ita attendat, ut absq; illorum momentorum pensatione nihil sibi agendum suscipiat,

(XVII.) Fidelis illa proporrò civitatum Custos Ratio status, sicut omnium vel plurium Rerumpublicarum formas, pari ac æquali nonnunquam salubritate perfundit;) Hanc divisionem parit generalior i. Ipsarum utilitatum ac necessitatum communitas, quæ vel omnes Rerump. status tam aberrantes quàm rectos, sive unum vel alterum eorum factos tectosque tenere firmissimè solent. 2. Generalis adhæc & specialis Reipub: consideratio, nec minimum hoc in negotio habet momenti, illa quippè sobriè & philosophicè expensâ Rationem Status generalem, hæc verò specialem producit. Cumq; corpora politica omnia haudsecus ac humana & physica non modo internâ corruptione, sed etiam adventitiis morborum symptomatibus generaliter subjacent, ita quoque sciendum est, illius causas ab iis quos regni circulus claudit, horum autem à vicinis aliisque extra pomeria Civitatis constitutis, ingratiè oriri. Quem proindè Rerump. intrinsecam, quam vel vis vel dolus exitat, avertit Ratio status generalis, impediendo tollendo & in ipsa herbâ extingvendo vires motuum ac seditionum, idq; per artificiosam concordix introductionem, quâ res parvæ crescunt, maximæ verò dilabuntur, ut symbolum Hollandorum monete

netæ impressum, à M. Agrippa mutuatum sonat; Conducit præterea bella externa fovere; nam insensissimi quique coeunt, imminetibus belli externi malis. *externi enim* (ait Livius) *timor maximum* Concordiæ vinculum, suspensos infensosque inter se jungit animos. Arcet quoque 2. Ratio Status Generalis, intrinsece oriundos paroxysmos ac morbos, admonendo Imperantes & parentes de munere suo, & quidem illis insuper suppeditando cautiones, respicientes 1. *tum leges*, quarum nec multitudo noceat, nec paucitas obsit statui, cui & illæ omnimodè sicut concordent, ita quoque à violationis labe immunes habendæ sunt 2. *tum magistratus*, quibus in constituendis aptitudo & gradualis adscensus, in constitutis verò brevior vel prolixior diuturnitas, privatorum Commodorum evitatio, dissensionum odia, & reliqua civium studia consideranda veniunt; *Tum deniq;* 3. *reliquos in parendi sortem genitos*, cum primis verò vel *mores illorum*, quod quò sint nec à naturali indole alieni, nec omnino Reipub: nisi accomodati, ad præsentem statum fideliter sunt instituendi; *vel etiam equalitatem*, cujus Conservatiõni inservit observatio, quod ad majorem semper, evehantur potestatem Reipub. præsentis statui qui favent, ejus vero osiores variis simulacris removeantur, ita tamen ne unius ordinis incremento, reliqui omnes suum videant decrementum. Cæterùm, ad gravissimos illos externæ violentiæ propellendos insultus, quibus vel nimia securitas eorum qui parent, vel segne otium eorum qui imperant, ansam præbere potest, suggerit Rationis Status Generalis cura ac sollicitudo inter alias regulas Statisticas præprimis, formidinis tam in subditorum quàm circumjacentium vicinorum animos incussionem; illa pluribus modis, hæc Virtute triplici *Fortitudine* nimirum, *arte militari & prudentiâ* excitatur; augetur *potentia famâ*, consummatur *fortuna adplausu*; sed nec obliviscitur hic loci Ratio Status Generalis, arctiorem Rerumpub; per fœdera, pacta, commercia, mutuam combinationem, propugnaculorum ac mœnium constructionem, delecti militis robur & sustentationem; quæ omnia sunt quasi ænea & ab externa vi defendentia Civitarum præsidia. Curiosior hujus rei qui velit esse scrutator perambulet amœnissimum

Historiarum paradifum, nos promiffi memores in altum longius non descendimus, prolixam Exemplorum feriem ipfo difcurfus actui refervantes.

(XIX.) Ita quoque ad genium unius cujusque Specialem fele attemperando, diftincto utilitatum & neceffitatum pondere onufta, eadem perambulare folet; ) *ficut non omni pedi unus aptandus eft calceus, nec unum collyrium omnibus morbis medetur; ita nec fufficit generalis Ratio ftatus ad promovendum in Specie omnium Rerumpub: deficientes utilitates. Hinc quia non eft una Conditio, unavè natura omnium, fed funt temperamenta, fingula convenientia; Imò origo, vita, finis, diverfa fæpè & Contraria, idè quoque error & confufio inter cætera nafcitur ex ignorantia Speciei & indolis illius Reipub: quam curandam Principes vel Rectores fibi fufcipiunt. Enimverò remedia quæ proficiunt in una, in alia poffunt adferre interitum. Audiamus Hippol. à Lap: fcitè & nervofè in hanc rem differentem: *ficut varia existunt Rerumpub: genera, que non uno & eodem modo reguntur, nec eodem fines intermedios habent, per quos ad ultimum finem fcopum pertingunt: nam in Monarchia unius, in Aristocratiâ plurimum quidem fed pauciorum tamen potestas, in Democratia Communis libertas maxime attenditur: Ita etiam Ratio ftatus fecundum Subjectam naturam variat. Quarumcunque Civitatum contrarii funt fines, earum contrarios mores effe oportet; Leges enim, ait, Bodinus quibus Populi libertas alitur, unius Dominatum & Optimatum potentiam evertunt, è contra que unius Dominatum & Optimatum potentiam ftabiliunt, populari libertati exitiofa funt. Dum autem hæc fic à nobis dicuntur, non eft quod quis eas apud fe fuboriri finat cogitationes, quali in Speciali Rationis ftatus Philofophiâ, tales ftrictè adferantur cautiones, quæ unius præcifè tantùm Reip, ftatum confervant; Sed fciat etiam quandoque ejusmodi ibi inferi monita, quorum iufta rectaque applicatio, pluribus prodeft Rerump. formis.**

(XX.) adeoq; in Regalis aufpicii Eminentia, fua quæ ponit trophæa, Monarchica; quam unanime Optimatum Regi-



Regimen veneratur, Aristocratica; Cujus verò auxilia popularis status libertas implorat, Democratica, rectè salutatur.) Spatiosissimus quidem nunc sese aperiret, in particularem Rationum statuum descriptionem deducens, exspatiandi campus, ubi perlustrare liceret, quibus Cautionibus Ratio status & Monarchica & Aristocratica & Democratica, sua quaque in formâ virium potentiam exercet, & an unusquisque statuum tales extrinsecus advenientes suppetias, ex æquo postulet. Verùm nobis cum propositum sit, spinosam & periculosam illam viam decenter declinare, itaque tanto labore lubentes supersedemus. Si tamen alios qui in hisce consignandis eam intendebant aliquatenus consulere placet, non possumus non eorum hic tantum referre sententiam, qui in Monarchiis exiguum profus, Rationis status locum relinquunt; Cujus rei causam vel eam dare sciunt; quod sicut, illæ in volentes exercentur, omniumque formarum sunt perfectissimæ ac optimæ, nullaque stomachatione laborant, ita etiam ex se satis firmitudine gaudent, imo in optimo jure fundatæ perdurant, ut adeo non sit, propter morbum præcipuè internum aliquem, cur ad externa & accidentalialia in iis recurratur conservantia; *modò severè & maturè legibus ac consuetudine cautam constitutumque sit, sivè, de continua regali sanguinis successione, sivè ad quosnam ex familia transire imperium debeat: modo etiam Reges & Principes curam habeant educationis liberorum, quæ à teneris pietati, prudentiæ, Justitiæ, magnificentiæ & similibus advesiant virtutibus.* Concedunt nihilominus eorundem suffragia, Rationem Status Monarchicam respectu subditorum, svadere, ut imperantes animis parentium sese accommodent perpendendo qualiter animati sint subditi & inqvitando quid à Regibus suis boni sibi optent, quidve sibi fieri Principes vellent, eo in loco, in quo subditi eius positi sunt. Respectu vero diversorum Reip. temporum, dicunt eandem, *Aylorum quandoque aperitionem imperare Ostracismi inductionem mandare, speciosam potentum ablegationem injungere, rerum Reipub: causa Civibus ademptionem monere;* plurimaque alia, quæ omnia aliorum submittimus iudicio, asseverantes, cunctarum quasi cautionum

Rationis status Monarchicæ, compendium existere monitum hocce, ut ad unum cuncta referantur, ratio enim non aliter constat, quam si uni reddatur. Succedit nunc Ratio status Aristocratica, quam parili modo paucissimis absolvamus lineis. Cumq; videamus, ipsum Aristocraticum statum valde instabiliori minusque securo quam Monarchicum insistere pedamento, ita quoque multo pluribus ad suam sustentandam imbecillitatem indiget cautionibus, quarum eminet ut inferiores ab injuriis superiorum strenue defendantur, unius vero supra alios crescenti potentia debilitetur & generetur; proderit quoq; huncce à nuptiis cum Principis alicujus Filia contrahendis, omnibus modis impedire; Histetiam addit Clapm: Liberos, eorum scilicet qui proscripsi sunt ab honoribus omnimodam exclusionem; Qui populari quoq; statui (ut & eum verbot angamus) cui pleraq; cum reliquis sunt communia inter alia bellicosorum Hominum à Tribunitia potestate exterminationem indulget &c. Cæterum, præcipuum Democratiæ fundamentum, sicut nititur libertate & æqualitate Civium, ita hac facillime obtinecur, si per vices imperetur, per vices rursus pareatur, ita ut omnes Magistratus sint capaces, sine ullo opum generisque discrimine; illa vero, si omnes virtute Bellica sint instructi, ita ut vi armorum eandem tueri & defendere queant. Denique, quæ de ratione status formarum vel aberrantium vel etiam ex mixtione simplicium resultantium copiose adduci possent, ea nos tanquam nec Cælo grata, nec societati mortalium proficua, sed velut monstra politica & aberrationes, in quibus quandoq; larvata tantum splendet Majestas, aliorum hac in parte peritiorum curiositati enodanda relinqvimus.

(xxi.) Deniqve ne extra legitimam terminorum peripheriam Ratio status sese evolvat, Circumcingunt eam instar sepimenti, Religio, justitia, Fides,) Constitvimus quidem unicuique horum terminorum diversam addere explanationem, ast cum nosmet à tantis conatibus fonticæ excludant causæ, rem omnem brevitate circumscribere placet. Nec enim magnopere sive Pietas sive justitia sive Fides (quibus & alii addunt Hone-

Honestatem) commendatione indigent, Cum & ipsæ ultra quam  
crena nostra persequi valet semet ipsas satis superque omnibus re-  
commendent. Sufficiat Testimonium Senecæ Tragicæ qui com-  
pendiosis verbis hos limites hoc modo depingit,

*ubi non est Pudor*

*Nec cura juris, sanctitas, fides, Pietas*

*Instabile Regnum est.*

Sane, pietate erga Deum sublata, fides & Humani generis socie-  
tas tolli necessum est, una cum Justitiâ omnium virtutum excellen-  
tissimâ. Quod absit! Justitia quoque, propterea quod pro digni-  
tate præmia cuique tribuit, efficit ut qui sua sunt quisque obti-  
neat: in bonorum distributione est diligens: non admittit ut per  
vim ac dolum quandoque agat: stabilem Reip: statum facit, adeo-  
que observanda non tantum adversus pares & majores, sed etiam  
inferiores imo infimos teste Tullio, Sed de fide quid dicamus il-  
la adscribitur

*Ante Jovem generata, decus Divumque Hominumque,*

*Quæ sine non tellus pacem non ægora norunt.*

*Justitiæ Consors, tacitumque in pectore numen.*

Nos Proinde, supremam manum jam jam Discursui nostro imponen-  
tes, concludimus, quod Ratio Status quotiescunque ad præscriptum  
horum limitum præcipue vero Religionis non decurrit, toties eam  
non amplius Rationis status nomine decorandam, sed impiæ &  
Diabolicæ fraudandi Rationis caractere, cum pio V. Pontifice no-  
tandam esse censemus; alias quoque mutet Princeps quantum velit  
religionem, nunquam suâ inconstantia, constantes acquirat subdi-  
ros; Nec enim calliditas humana, sapientia, aut impiorum  
fraudes, prudentia, appellandæ sunt.

(XXII.) Quæ ab omni labe, naufragio, deliquio, quod  
sint immunes, tanto acriore animi cum fervore laboran-  
dum est, quanto certius constat, earum violationis vindi-  
ctam, cælum sibi unice reservasse.) Scilicet, excepto solo Deo  
de

de ratione actuum à summâ potestate proficiscentium, nullus dis-  
 purat, nullus examinat, nullus judicat, ne dum aliquis eorum, qui-  
 bus obsequii gloria relicta est. Hinc notabilis olim Ægyptiorum  
 mos fuit, in judicio de Regibus suis ferendo, ut supremum semper ex-  
 spectarent, diem, Regesque jam in loculo constituto, dissectarent,  
 quid Reipubl: contulisset, quid ejus auctum operâ, quid neglectum  
 desidiâ, quid deperditum imprudentiâ. Sciant vero Principes in  
 tanta rerum licentiâ, in qua difficilimum sibi moderari, non so-  
 lum Deo placidas services submittere, sed exilientem affectuum  
 libidinem, regio prorsus animo, generose coercere; sic enim, &  
 ibunt in purâ ac inconcussâ tranquillitatis sacristia, & periculum,  
 ac infamiam effugient, quæ contemptores illos Dei, justitiæ ac fi-  
 dei concomitare solet. Sed jam receptui Canemus vere Felices,  
 eos Principes proclamantes, quibus post RELIGIONEM, JU-  
 STITIAM, FIDEM, per Rationem Status unicum votum est,  
 SALUTEM POPULORUM quærere. Hisce gradibus ad æternam &  
 nunquam deficientem Monarchiam surgit adscensus, ubi Rex Regum  
 & Dominus Dominantium, ejus nutu omnia gubernantur, quem  
 metuunt & adorant Angelorum castissimæ catervæ, horrent in fe-  
 rorum claustra, creaturarum minimæ agnoscunt, nobilissimæ re-  
 verentur, quiq; solus immortalitatem habet, vivit & regnat cum  
 sanctis civibus in pace & gaudio; cui proinde honor omnis,  
 & imperium sempiternum!!!

FINIS.



R.M.F. 6120